



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 69. Plurium Cardinalium obitus, ac primo Soderini Cardinalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Erroribus ita expositis, ac percepta Sæcul. XVI
A. C. 1524.
 Procuratoris Generalis relatione, su-
 premæ Curix Senatores duobus Consi-
 liariis Nicolao Dorigny, & Guilielmo
 Burgesio negotium dederunt, ut in ip-
 sum factum, atque articulos ex hoc libro de-
 ceptos inquirerent, simulque injungere Pari-
 sienti Episcopo, ejusque Vicariis, ut literas
 monitorias decernerent contra omnes, qui ha-
 bent, & detinent præfatum librum, eosque
 adstringerent, ut eum infra triduum sub ex-
 communicationis pœna ad criminale forum
 dictæ Curix deferant, ac revelent, dicant &
 manifestent singulos, qui prædictum librum
 composuerunt, impresserunt, & vendiderunt,
 aut quicquam hac de re sciunt. Lata est hæc
 sententia in Parlamenti Curia die no-
 na Decembris: Literæ autem, ut vo-
 cant, monitoriæ Parisiensis Officialis
 publicatæ fuere decima ejusdem Mensis
 die.

§. LXIX.

*Plurium Cardinalium obitus, ac pri-
 mo Soderini Cardinalis.*

Eodem hoc anno sacrum Purpurato-
 rum Collegium plurium Cardinalium
 obitum planxit; Hos inter primus erat
 Franciscus Soderinus, ex profapia inter
 Florentinos nobilissima genitus. Patrem
 is habuit Thomam Reipublicæ Orato-
 rem ad Paulum II. Papam, cujus cura
 libe- Ciacon. in A-
lex. VI. p.
203.
Victor. in ad-
dit. Ciac.
Joan. Nal-
dini hist.
Florent.
Aubery vie
des Cardins

Sæcul. XVI

A.C. 1524

liberaliter educatus, tractu temporis omnium humanarum scientiarum genere peritissimus evasit; nam Pisis emenso Philosophiæ curriculo Jurisprudentiæ se impendit, ac utrumque Jus incredibile auditorum frequentia tradidit, quamvis Philippus Decius acerrimus illius Æmulus esset. Dein renunciabatur a Sixto IV. Pontifice Episcopus Volateranus, indeque licet jamjam S. Collegio adscriptus esset, semper Cardinalis Volateranus nuncupatus est. Alias præterea tractu temporis obtinuit Ecclesias, nimirum Nannetensem, Cortonensem in Etruria, Vicentinam, Narniensem, & Anagninam, ac denique Legationem in Campania accepit. Interfuit quoque Pontificiis comitiis, in quibus Clemens VII. electus fuit, a quo ad Ostiensem Episcopatum translatus, die decima septima Maji Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto ætatis vero suæ anno septuagesimo ex hac mortali vita excessit, & sepultus est in Ecclesia S. Mariæ de Populo. Scripsit is quasdam in Jus Pontificium annotationes, sed impolitas, minusque elaboratas, eoque extremam illis manum admovere haud ultra posset.

§. LXX.